



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.l.], 1711**

XCVII. Iosias absoluta boni regis imago.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

Manassis in vinculis pœnitudo , revocantis in mentem , verissimi Vatis præfagia , & intonatas scelerum pœnas. Hanc vindictam expetit Innocentia.

NARRATIO XCVII.  
IOSIAS, ABSOLUTA BONI REGIS IMAGO.

4. Reg. 22. 23. lib. 2. Paral. 34. 35.

Ab anno M. 3395. ante Christum. 658. ad annum Mundi 3427. ante Christum 628.

**P**rinces multa tempora non diu sed bene gubernando explent. *Amone*, quod narravimus, sceleratissimo bipedum , post alterum regni annum per domesticam proditorem interempto, filius ejus *Iosias*, puer octennis , Judæorum regno inauguratus est. Cædis paternæ auctores , meritis statim supplicijs affecti. Novi regis nomen auspiciatissimum , jam aÑos ante trecentos & quinquaginta (juxta computationem Saliani) divinitus fuerat editum. Quo tempore Prophetes quidam , Judaicæ tribûs, *Ieroboamo* prædixit , Israëlitarum regi : nasciturum è domo Davidica , qui idola, eorûmque cultores extirpaturus , religionem instauraturus, & populares, ad avitam pietatem revocaturus esset, adjecto quoque JOSIÆ, quod ortu suo puer ille sortiturus esset, expressissimò vocabulò. id verò significat *DEI* vel *munus*, vel *ignem*, ob Zelum videlicet regis optimi, & ignita sacrificia. Is post nequissimi parentis brevem, turpissimûmque dominatum ita successit in

regno, ut in Iudæ regibus nemo fuerit illo melior. Vivendi modū eum instituit, DEum ut ubique locorum præsentem haberet, & ad ea unice animū intenderet, quæ existimabat illi placitura. Quare ut ei nihil antiquius aut potius fuit, quam ut divinus honor magis in dies singulos ac magis augetur, quæque ad illius spectant cultum, magnificè semper ac legitimè fierent; sic eò primum appulit animū, ut, quæ ad religionem pertinent, eo essent ordine ac loco, ut neque indecorè peragerentur, neque unquam intermissa deficerent; aut in illis obeundis Sacerdotum, aut Sacrorum hominum studia languerent.

Neque hic pietatis ardor Hierosolymis sese, aut intra fines duarum tribuum *Iuda & Benjamin* continuit; ultra progressus, Idolorum, & omnis sacrilegi cultūs excidium, in terras etiam tribuum *Simeonis, Ephraim, Manassis*, ac *Nephthalarum* extendit & circumtulit. *Bethel* potissimum, Ephraimitarum oppidō præcipuō, jam antiquitus, ob *auri Vitis* sacrilegam adorationem infamī, non solum altaria destruxit, & cum simulacris impijs, *lucos & Excelsi* vastavit, delubra diruit; quidquid vasorum in Templo Solymæo repertum idolorum sacrificijs dictum, combussit, cineremque dispersit; cæteraque idololatriæ sive instrumenta; sive monumenta [quæ jam antè per *Manassem* disturbata, ab *amone*, omnium scelerum turpitudine corruptissimo, fuerant reparata & reposita] evertit, confregit, combussit, sustulit. In ijs fuere prostibula & lupanaria, in quibus intra ipsos Sacratissimi Templi parietes promiscuæ libidini operabantur; Currus etiam *Solis*, & equi;

equi: vel artificiosè elaborati, vel vivi; ei Plane-  
 ree, Gentilium more, maectandi & sacrificandi. Py-  
 thones insuper, ariolos, augures, divinos, & quid-  
 quid id generis impietatis & spurcitiae erat, exter-  
 minavit. Hebræos sacerdotes, impuris Sacris con-  
 taminatos, ab aris castis removit; & passim, per op-  
 picla *Samaritarum*, quos vivos reperit, Deorum sa-  
 crificulos; eos super suasmet aras interemptos, fe-  
 cit victimas: & quos invenit jam olim sepultos; eo-  
 rum super eadem altaria reliquias, ossaque concre-  
 mavit. Béthele cum esset, & ejus urbis loca om-  
 nia circumspiceret, in sepulchrum incidit illius ip-  
 sius Vatis, qui tribus amplius antè sæculis, Nomen  
*Iosue* virtutemque prædixerat; agnitum è signis illi  
 monumento impressis [ quale *Iehovæ* nomen esse po-  
 tuit ]; pepercit tumulo, & honorem cineribus ha-  
 buit; Sacrificulorum autem omnia cum ossibus at-  
 que bustis, monumenta profanavit, & evertit.

Parùm fuit malorum omnium omnem occasio-  
 nem subtrahere; totum se bonis impendit. Tem-  
 plum toties deformatum, nec satis unquam post  
 deprædationes restitutum, summo vigore ad pristi-  
 num splendorem & ornamenta reduxit. Repara-  
 tum quidquid vel longo attritum usu, vel homi-  
 num injuriâ, temporumve collapsum, aut ruinæ  
 proximum. In ea cura dum totus est, Domusque  
 DEI sarta tecta restaurat per fabros, accidit, ut  
 cæmentarij librum invenirent ruderibus obrutum;  
 vel, ut alij cum Josepho scribunt, in Arca reposi-  
 tum, & à Pontifice *Helcia*, dum aurum depromit,  
 repertum. Fuit is liber, *Deuteronomium*, [ aliqui  
 totum *Pentateuchum* fuisse volunt ] qui à Sacerdoti-

bus, ne cum libris sacris pietas omnis interiret, absconditus creditur sive in muro perfosso, sive in ærarij sacri scrinio regnante *Achaze*, & divina volumina, impietatis suæ testes, flammis abolente, Neque *Achaze* melior, si ultima tempora excipias, *Manasses*, ejusque filius *Amon* extitit, in quibus par contemptus tam legis divinæ, quàm librorum legis fuit. Ut improbitati plus esset licentiæ impudentiæque, remoti sunt ex oculis sacri codices, officij monitores, sacrilegij exprobratores. Rex certè *Iosias*, tanquam novum aliquid inaudisset; toto cohorrui corpore, cum *Saphan* scriba recitaret inventum legis Divinæ librum; testandóque dolori, vestem dirupit, perpendens, quàm amplis DEUS præmijs ad virtutem alliceret: quàm gravibus minis à vitijs absterreret; Comparabat inter se hinc justitiam, majestatemque, legem ferentis; inde contumaciam ac vecordiam, legem accipientis. Vidit, quàm omnia alia DEUS præcepisset; alia verò majores sui, populúsque fecissent. Majoribus igitur studijs ad DEUM placandum conversus, ex Prophetis discere voluit, quibus rationibus tantorum immanitas criminum expiaretur.

Helciam itaque Pontificem, cum viris alijs primarijs mittit ad *Holdam* Prophetidem, [aberat enim tum *Jeremias*, totum regnum concionibus suis obiens] à qua intelligerent, quibus piaculis propitiandum esset Numen. Legatis respondit fatidica mulier, decretas à vindice DEO pœnas, nullis posse supplicationibus averti; gentem Judaicam sceleribus suis eijciendam, & varijs propter commissa scelera calamitatibus jactandam; Vatum sacrorum hor-

hortatus & minas, adhuc protervè spretas, triffimis eventibus comprobatum iri. injectam tamen imminenti tempeftati morâ esse à regia pietate; Josia vivis excedente, velut rupto obice, omnia mala Judæam inundatura. Quibus regi renunciatis, nihil priùs duxit, quàm ut quaquaversum nuntios dimitteret, qui ætatis omnis & conditionis Hebræos Hierosolymam convocarent. Ingens brevi multitudo confluit; quâ in templum congregata, rex in editiore consistens loco, sacramentò adegit universos, ad divini Numinis cultum, legesque omni contentione tuendas & conservandas. Non ardentius id Iosias exegit, quàm ipsi se præstituros receperunt; sed more suo, inconstanter; quod in Jeremia docebimus. In confirmationem ejus foederis, cum DEO initi, magno mox apparatu sacrificia patrata; Pascalsque celebritas, quanta potuit solennitate, peracta; *Ieremiâ* & *Saphoniâ* Prophetis tam Regis, quàm populi studia ferventi cohortatione inflamantibus.

Atque hic tantus, ac factis suis tam inclitus Rex (ò mira DEI judicia) à *Nechaone* tamen Ægypti rege, interimitur in acie! *Ieremiæ* Vatis Iesò, lacrimisque, tunc statim exequias illius rigantibus, ac deinceps funeris ejus favillas rigaturis. Nihil in vita gefit omni, tam poenitendum; quàm quòd optima mente, conscientiaque sed inconsultò militaris ardoris impetu, nullòque prævio Numinis oraculò, regi congressus Ægyptio; ceciderit acie, qui steterat semper à DEO. Belli caussa *Nechaoni*, cognomentò Pharaoni, si *Josepho* credimus, fuit cupiditas potiundæ Asiæ. Cui cum innoxium per *Judæam*

*Judæam*

eam transitum petenti, negasset Iosias, sive quod  
 hominis fidem suspectam haberet; sive quod Assy-  
 rijs, in quos movebat Nechao, amicius, quam cau-  
 tius consultum vellet, alienum periculum in sua  
 damna transfudit. Nam ventum est ad arma, con-  
 fertum proelium in campo *Mageddona*, vulneratus  
 sagittâ Iosias, lethalique collapsus plagâ traxit se-  
 cum in ruinam, nulla sua voluntate, *Judæa* rem, ac  
 fortunam omnem, *Sacram & Civilem*, juxta Holdæ  
 vaticinium. Exanime corpus Hierosolymam re-  
 vectum, comuni omnium luctu, funere magnifico  
 paternis monumentis illatum est, Ieremia, quod  
 dixi, epicediû ei lugubre canente. Vivendo explevit  
 annos triginta novê, regnando unû. Virtute senior,  
 quam annis, videtur diutiùs, si digna illo *Judæa* fuisset.

Atque hic est Iosias ille, de quo Siracides cap. 49.  
*Præter David, & Ezechiam, & Iosiam omnes (reges Judæa)*  
*peccatum commiserunt.* Nam cæteri, dum *Excelsa* non  
 auferunt, id est, delubra in montibus excitata, et-  
 tiam ea, in quibus DEO Vero, contra vetitum ta-  
 men, sacrificabatur, vitia vel induxerunt, vel in-  
 dulserunt. Hi verò soli Regum Judæorum, scelus  
 idololatriæ nec commiserunt, nec permiserunt. Ni-  
 mirum rarum est in natura spectaculum rex imma-  
 culatus. Rerum potentibus, stat virtus omnis in  
 lubrico; per tot hominum obsequia, per tot deli-  
 cias aut sopitis, si mulceantur; aut irritatis, si quid  
 sensibus adversetur. Stimulat undique ambitio, in-  
 flammant libidines, ira præcipitat, urit ardor vin-  
 dicandi, laxat fræna cupiditatibus infinitis, omnia  
 audendi, faciendique licentia. Præter indolem bo-  
 nam, Iosia pondus ad pietatem ingens addidit op-  
 tim

mi libri lectio, quem Helcias Sacerdos in templo  
 aperit, Regique tulit. Accessit magna vis ex  
 eremiæ prophetæ consilijs sabuberrimis, quæ Re-  
 gis animum ad omne pietatis studium accenderunt,  
 tanti interest, quibus Institutoribus Principem in-  
 firmandum committas. Iosias etiam tum octen-  
 nis, in ipsa herba fructus protulit, quia satum è cœ-  
 lesti accepit; E pueritia probè culta, in juvenem  
 crevit & virum, *cujus odor esset, sicut odor agri pleni.*  
 Gen. 27. raræ virtutis, & famæ sempiternæ fra-  
 grantiam spargentis. Ite alij Reges, funera balsa-  
 mo condite, busta de cinnamo struite, urnas im-  
 bre croceo rigate; Josias vivit extinctus, & sine  
 pollinctore redolet unguenta sepultus; si tamen se-  
 peliri potuit, *cujus gloriosa memoria mori non po-  
 tuit.*

Hic est ille Josias, qui Principum sanctissimus,  
 stetit invictâ pietate contra tot scelera; qui porten-  
 ta domuit, qui religionem in plenam libertatem  
 asseruit; qui ruentis imperij ruinas per annos trigin-  
 ta sustentavit; qui ereptus mundo, cum jam patriæ  
 tempus immineret, quò nullus esset mundus. Ea  
 morte extinctus est, qua florentissimi duces solent;  
 in campo Martis, in ipsius honoris throno; suo tra-  
 beatus sanguine, ad Mausolæum velut ad Capito-  
 lium processit, Primusque post obitum triumphavit.  
 Si dura ejus fata, si miseram mortem, quia vi-  
 olenta est, judicamus, mendacem DEI spiritum  
 arguimus, qui per *Holdam* prophetidem, Iosiam  
*ad sepulchrum in pace colligendum* manifestissimè prædi-  
 xit; Nimirum magnarum mentium profectus &  
 coro+



coronæ per adversa computantur. *Hic est habitus innocentie, hæc palmata vestis, hoc curru triumphans,* ait Tertullianus.

NARRATIO XCVIII.  
**JOACHAZES, SIVE  
 SELLUM; ELIACIMUS SEU  
 JOAKIMUS, JOACHINUS SEU JECHO-  
 NIAS; REGES JUDÆ IMPIJ, MISERI.**  
 4. Reg. 23. 24. 2. Paral. 26.

Ab anno M. 3425. ante Christum. 628. ad annum  
 Mundi 3436. ante Christum 617. quo Iecho-  
 nias captivus Babylonem adductus.

**I**osia terris subducto, universa, quod retulimus, felicitas Hebræa corrui-  
 t. Primas turbas dedit  
*Joachazes*, filius Iosia secundo genitus, qui fra-  
 ctione populari (sive quod animos promissa religi-  
 onis libertate corruerit; sive quia militaris ejus te-  
 rocia, patriæ præsidio contra hostes futura crede-  
 batur) regnum inauspicatum invasit, anno ætatis  
 vigesimo tertio, excluso per injuriam *Eliacimo*, fra-  
 tre majore, viginti quinque annos nato. Exordio  
 statim dominationis nuntium DEO, paternæque  
 pietati remisit, populoque nihil admodum religio-  
 nis sinceræ, præter externam speciem præferenti,  
 dux ad omnia scelera fuit. Et quia metus, perpetuus  
 comes est mentis malè conscia, *Joachazes* ve-  
 ritus, ne vel intestinis seditionibus à fratribus, [*Eli-*  
*zimo & Mathania*, postea *Sedecia* dicto, natu minimo] vel